N. I.

Erythrogyne Vis.

Amphanthum longe pedunculatum glabrum laeve basi involucratum foliolis tribus ovato-rhombeis, ore squamis imbricatis concretis clausum, intus sparse villosum androgynum. Flores masculi superiores pedicellati ebracteati, perianthio monophyllo infundibuliformi, limbo tripartito, raro bipartito, laciniis ovatis acutiusculis; staminibus duobus, filamentis cylindricis supra basin antherae affixis, inclusis, antheris subrotundis utrinque emarginatis semi-exsertis, quadrilocularibus, loculis geminatis, et anterius sulco discretis, extus connectivo in discum totum antherae dorsum obvestientem amplato conjunctis, pollinis granis oblongis laevibus utraque extremitate tubulum emittentibus. — Flores foeminei inferiores sessiles, perianthii loco bracteis 2-3 oblongo clavatis carnosis rubris, apice pilis crassis obtusis viridibus penicillatis, suffulti; ovario brevissime pedicillato uniloculari subrotundo hinc gibbo, stylo tereti ob ovarii gibbositatem sublaterali, stigmate cavo, ore ampliato membranaceo eroso, vel lacero hinc in rostrum canaliculatum producto. — Nomen a colore rubro flor. foemineorum.

Spec. Erythrogyne lutescens Vis. — Syn. Ficus lutescens Desf. cat. pl. h. paris. 1829. p. 413. Ficus biglandulosa Colla! nec aliorum?

Explic. icon. I. f. 1:2:3. Flores foeminei bracteis denudati — f. 4 flos foemineus cum bracteis — f. 5. ovarium sub vitro compressum, ut ejusdem laceratione ovulum conspiciatur — f. 6. Flos masculus, perianthio bipartito — f. 7. id. perianthio tripartito quod frequentius. f. 8. Stamen posterius visum, anthera connectivo disciformi obducta — f. 9. Stamen anterius visum — f. 10, granula pollinis bi-tubulifera — f. 11. Antherae 4locularis sectio transversa

N. II

Covellia coronata Vis. — Syn. Ficus coronata Spr. cat. h. S. ... bot. 10. Coll. hort. ripul tab viii! f. — Characteres generis exacte ut in Covellia Gasparr.

Speciem hanc Ficui exasperatae Vahl accensuit Sprengelius, F. ulmifoliae Lam. Desfontaines. Differt vero a descriptione Vahlii (En. plant. 2. p. 196.) ramis villosis, foliis basi oblique cordatis nec acutis, et praecipue pedunculis solitariis nec geminis, et fructu undique squamoso et majore: ab illa Lamarcki fructu squamoso. Planta Lamarcki autem ex ipso Desf. in cat. h. paris. 1829. p. 346 est species dubia. Hinc nomen specificum a Sprengio impositum, ut reliquis certius, omnibus anteferendum

III. Clementia Usz.

Amphanthum pedunculatum, basi involucro trifido cinctum, ore extus squamis pluribus clausum, foemineum, intus glabrum, et os versus squamis variis foliaceis obsitum. Flores multiformes mixti: alii sessiles nudi, vel bracteis numero variis lanceolatis discretis ovario subaequalibus cincti, stylo perfecto laterali, stigmate tubiformi ore denticulato: alii pedicellati bracteis ovario duplo longioribus conniventibus coalitisve, stigmate styloque conformi: alii longius pedicellati bracteis etiam majoribus in perianthii monophylli speciem connatis, stylo apice castrato — Dico in honorem doct. Josephi Clementi, olim Scholae et Horto bot. patavino adjuncti mihi in hisce aliisque observationibus instituendis sodali dulcissimo sagacissimo.

1 Clementia crassinervia Usz. Syn. Ficus crassinervia Desf. cat. h. paris. 209. W. sp. pl. 3. p. 1138. — Icon. 4.

2. Clementia ? racemosa Usz. Syn. Ficus racemosa L. sp. pl. ed. II. p. 1515 (excl. Syn Rumph. —) — Icon. 3.

Haec differt quidquam a genere praecedentis succo aurantiaco nec albo, fructibus villosis, stylo breviore ad latus oporis nec ex medio lateris ovarii exoriente, stigmatis cavo infundibuliformi seu conico, nec cylindrico ut in illo. attamen his in plantis, ubi notae generis graviores deficiunt separare non ausim, notis caeteris sat congruentibus.

Expl. icon. Clementiae crassinerviae IV f. 1. Sectio transversalis amphanthii ut videantur superius squamae foliaceae variae, dein flores multiformes mixti — f. 2. Flos foemineus sessilis nudus — f. 3. Flos foemineus bracteis binis pluribusque late lanceolatis, ovario pedicellato — f. 4. idem longius pedicellatus et squamis in perianthium concretis inclusus — f. 5. flos sterilis ovario abortivo longe pedicellato, stylo castrato, perianthio vesicario monophyllo.

Expl. icon. Cl. ? racemosae III f. 1. Sectio tranversa amphanthi ut conspiciantur superius squamae lanceolatae variae, dein flores multiformes mixti. — f. 2. Flos foemineus sessilis bi-bracteatus. datur etiam nudus vel pluri-bracteatus, bracteis ovario appositis vel remotis — f. 3. Flos idem pedicellatus bracteis ovario duplo longioribus in perianthii speciem coalitis — f. 4. Flos idem longe pedicellatus, sterilis, ovario abortivo, stylo castrato, perianthio vesicario monophyllo. — In hac specie superficies interna amphanthi fere stellata videtur ob formam stellato-denticulatam stigmatum invicem adhaerentium — Huic plantae profecto non pertinet icon Rumph. amb. 3. tab. 87-88 a Linneo citata, sed eam bene refert Rheed. hort. malab. 1. f. 25, in qua etiam amphanthia pedunculata nec sessilia ut habet Spr. syst. veg. 3. p. 780. Planta Rumphii certe diversa. —

V. Meneghinia Vis. nec Endlich.

Amphanthium sessile verrucosum basi squamis tribus concretis involucratum, ore squamulis clausum, foemineum, intus villosum, et os versus squamis variis instructum. Flores multiformes mixti: plurimi sessiles bi- tribracteati, bracteis ovali-rotundatis concavis, stylo laterali a medio ad apicem in stigma lineare elongatum papillosum producto: alii bracteis pluribus, stylo subterminali minus excentrico, stigmate subrotundo nodoso papilloso, ovario pedicellato: alii abortientes neutri, bracteis pluribus stipatis majoribus — Dico in honorem cl. prof. Josephi Meneghini scriptis identidem editis de plantarum anatome, et de Algologia universa praeclarissime meriti. — Meneghinia Endl. est Arnebia sp. Josk. et DC.

Sp. Meneghinia aurantiaca Vis. — Syn. Ficus aurantiaca Hort. an Wall?

Expl. icon. V. Meneghinia — f. 1. sectio transversa amphanthii ut conspiciantur in parte superiore, dextera, squamae variae dein flores varriformes mixti, quos intus pilis sparsi — f. 2. Flos foemineus sessilis bi- tribracteatus stylo laterali, stigmate nunc recto, nunc (in icone) fracti-flexo — f. 3. — Flos foemineus multibracteatus, ovario pedicellato, stylo subterminali crassiore, stigmate subrotundo — f. 4. Flos neuter gemmiformis e bracteis imbricatis pluribus.